

14

DE

EPHESIIS LITTERIS

LINGUAE SEMITARUM VINDICANDIS

COMMENTATIO

SCRIPSIT

D. IOANNES GUSTAVUS STICKEL.

I E N A E

PROSTAT APUD DEISTUNG.

MDCCCLX.

Ἐφέσια γράμματα veluti antiquo tempore aenigmati instar difficilia intellectu — ἀσαφὴ καὶ δυσπαρακολοθητὰ Eustath. ad *Odyss.* XIX. 247 — habebantur et ob ipsam obscuritatem fere in proverbium abierant: ita recenti memoria haud parvo virorum doctorum numero uberrimam scrutandi dicendique materiem praebuerunt. Inter quos, ut alios taceam, Cuperium Marmor. Ant. exposit. p. 270, Bulengerum adv. Magos II. 17—47, Albertium ad Hesych. s. v. γράμματα Ἐφέσια, Lobeckium Aglaoph. p. 1163 et epimetr. I ad Sanaothr. p. 1330, et hos qui laudavit ipsum Gublium in Ephesiis p. 31. appellem. Ab his aliisque antiquarum rerum peritissimis ceterum scriptoribus quae proposita sunt examinatis et inter se comparatis explicandarum vocum obscurarum conaminibus, nullum ita mihi ab omni parte vel graecae linguae legibus consentaneum, vel statuae, cui inscriptae erant litterae istae, indoli ac naturae accommodatum, vel usui, ad quem in vita communi apud Graecos adhibebantur, respondens visum est, ut toto animo in eo acquiescam. Imo vero nova rem implicitam aggredi via, et aliis atque hucusque factum adminiculis quid effici possit, certe periclitandum et operae pretium esse duxi.

Eam autem viam antequam tangamus ac longius persequamur, quae sit de qua agatur causa argumentique natura, paucis declarandum est. Scilicet litteras quasdam, γράμματα, vel *Γωνάς* vel *ὀνόματα* Dianae Ephesiae simulacro, multimammiae istius, quam Hieronymus dixit, porrectis manibus dandi actu representatae, tum stephanae, tum zonae, tum pedibus insculptas a veteribus scriptoribus perhiberi; ut est apud Eustathium l. c. p. 1863: *Γωναί τινες ἦσαν ἐπὶ τῆς στεφάνης καὶ τῆς ζώνης καὶ τῶν ποδῶν τῆς Ἐφεσίας Ἀρτέμυδος αἰνιγματώδως γεγραμμένα.* Eae ipsae quae fuerint, duo nos docent ex antiquitate scriptores. Quorum alter ex ethnico philosopho Christianus factus, Origenes Alexandrinus in *Stromat.* libr. V. c. 8 (p. 672 ed. Potter.), ut Graecos, pariter atque in sacris libris Christianorum factum, valde esse usos occultatione in significandis animi cogitationibus, probaret, Androcyden Pythagoricum laudavit, qui Ephesias perquam celebres litteras locum tenere dixerit symbolorum. Eundem porro loquentem facit haecce:

Σημαίνειν δὲ Ἄσκιον μὲν τὸ σκότος· μὴ γὰρ ἔχειν τοῦτο σκιά· φῶς δὲ
 Κατάσκιον, ἐπεὶ καταγράφει τὴν σκιά· Λίξ τέ ἐστὶν ἡ γῆ, κατὰ ἀρχαίαν
 ἐπωνυμίαν· καὶ Τετρὰς ὁ ἐνιαυτός, διὰ τὰς ὥρας· Λαμναμενεὺς δὲ ὁ
 ἥλιος, ὁ δαμάζων· τὰ Αἴσια τε ἡ ἀληθῆς φωνή. Σημαίνει δ' ἄρα τὸ σύμ-
 βολικὸν ὡς κεκόσμηται τὰ θεῖα· οἷον σκότος πρὸς φῶς, καὶ ἥλιος πρὸς ἐνιαυ-
 τὸν, καὶ γῆ πρὸς παντοίαν φύσεως γένεσιν.

Propositas has singularum vocum Ephesiarum, pro graecis habitarum, interpretationes paulo accuratius examinans, quis non videt, plerasque earum longe petitas contortasque esse et quae ferri omnino non possint? Scilicet primum istud ἄσκιον quis non dixerit luci potius, umbra reapse carenti, quam tenebris, quae non tam vacent, quam spissa umbrositate tectae sint, aptam reiue naturae accommodatam appellationem? Luminis autem, quod umbram collustret, *κατασκίου* denominatio non modo prorsus singularis esset, nusquam enim alibi invenitur, verum etiam usui graecae linguae repugnaret. Namque secundum eum vel ea quidem quae obtecta sunt umbris — *πάντοθεν σκιάν ἔχον* explicant —, ut loca, *χωρίον* — *μεγίστοις κατάσκιον ἄλσει* Herodian. I. 12, 3 (ed. Weber), vel activa significatione, quae umbrositatem efficiant, ut rami *ἔρρη* Euripid. Phoenis. 657, non autem res quae vacent opacitate aut alias ea privent, ut lumen, *κατάσκια* vocantur. Rectius vice versa τὸ φῶς diceretur ἄσκιον et τὸ σκότος κατάσκιον. Nec firmiori fundamento nititur quod tertio loco legitur *λίξ* sensu terrae. Hunc enim quotquot pervolvat veterum Graecorum libros ne unus quidem tuctur; tantummodo ab Hesychio s. v. ad *λίξ* equiparatur significatu *πλάγιον* et *λίθον πλατέος*, quod etiam a terrae notione longe abest. Nec quidquam eo proficitur, quod Origenes *κατ' ἀρχαίαν ἐπωνυμίαν* adiecit, quippe de qua non solum apud reliquos scriptores altum agatur silentium, sed etiam ex etymo demonstrandae eius ac probandae iusta aliqua ratio non suppetat. — Quae adduntur cum de *τετρὰς quaternio* pro anno aut propter horas, quas Graeci Herodoto teste II, 169 a Babyloniis edocti sunt, aut propter anni vere, aestate, autumno et hieme vicissitudines, tum de *δαμναμενεὺς* pro sole, frigus calore vel tenebras luce sua mitigante ac quasi domante, ea quidem quamquam a communi dicendi usu recedunt, tamen in prisca sacraque formula, qua reconditiora et occultiora amentur, paulo minus offendunt. At iure mireris, vocem *αἴσια*, postremo loco positam, non usitata significatione auspicati, fortunati, ut *αἴσιος ὄρις* felix augurium Sophocl. Oed. R. 52, usui litterarum Ephesiarum magico tantopere congrua, sed rarissima *ἀληθῆς* exponi, quod vel ex mente Androcydis adiecit quod-

dam supervacaneum aut ita a re alienum, ut mallet *πρὸς παντοίαν γένεως γέρεσιν* substituere. Ut breviter dicam, teta ista ratio, qua *Ἐγέσια γράμματα* pro graecis sumta explicantur, qua vero non modo continuum contextum non efficiunt, sed ne notiones quidem ad unum omnes cohaerentes exhibent, admodum contorta, artificiosa ac talis esse videtur, qualem Graecorum maxime sectatos scimus, quum peregrina vocabula e vernacula lingua sibi met dilucidare eique utat fieri posset adaptare studerent. Sed simul conicias, interpretem illum, quia vel in vocibus seorsim acceptis usitatiores significatus praetermittens, rariores et qui vix defendi possent amplecteretur, ex aliena quadam vel doctrina vel auctoritate pependisse. Quae qualis fuerit posthac, spero, intelligetur.

Ab altero scriptore, singula *Ἐγέσια γράμματα* ad nostram aetatem referente, Hesychio haec de iis traduntur: *ἦν μὲν πάλαι (ς), ἕστερον δὲ προσέθεσαν τινες ἀπατιῶνες καὶ ἄλλα. Φασὶ δὲ τῶν πρώτων τὰ ὀνόματα τάδε: ἄσκι, κατὰσκι, αἶξ, τετραῖξ, δαμναμενεὺς, αἷσιον. Ἰηλοὶ δὲ τὸ μὲν ἄσκι σκότος, τὸ δὲ κατὰσκι γῶς, τὸ δὲ αἶξ — αὐτός, δαμναμενεὺς δὲ ἥλιος, αἷσιον δὲ ἀληθές· ταῦτα οὖν ἱερά ἐστι καὶ ἄγια.* Dedimus ut unus qui exstat codex textum suppeditat, omissis virorum doctorum correctionibus, quas ex Origene promebant. Idque iure nobis fecisse videmur. Etsi enim ipsa loci ratio indicat, post *αἶξ* per oscitationem scribae nonnulla ut *γη*, *τετραῖξ* δὲ *ἐρι* — ommissa esse, in ceteris tamen non credam Hesychii textum prorsus ad Origene exemplar conformandum esse. Namque Hesychium, etiamsi ex ecclesiasticis quibusdam aliis scriptoribus glossas nonnullas petierit, ne unum tamen certum exemplum exstat, ex Origene quoque hausisse. Multo magis ex iis, quae C. F. Rankius *De Lexici Hesych. vera origine* p. 103 s., 111 s., 132, 139, 141, accurate disputavit, conicias, ex alterutro glossographorum, Artemidoro aut Heracleone, Ephesiis, quorum notas Hesychium cum recepisse tum excerpisse vir ille doctus demonstravit, ea quoque quae de Ephesiis litteris tradantur, desumta esse. Illis quae de impostoribus, falsas genialis voces admiscens, commemorat Hesychius, ego quidem non multum tribuam, ut *κοιτικώτερον* cum Origene declarem; nam ad posteriora tempora pertinere possant; at hoc ne praetermittamus, quod ne verbo quidem indicaverit, Ephesias litteras graecas voces sibi haberi. Quod si non statuebat, causa decrat, barbaris sonis *ἄσκι κατὰσκι*, ut apud Originem, Graecismi studiosum, adiiciendi graecas terminationes. Talem discrepantiam non infitiabor quidem facili negotio sic tolli, ut *ἄσκι κατὰσκι* per errorem ex scripturae illo compendio ortum autumes, quo virgulam tantum longio-

rem ultimae syllabae apponerent pro *ov*, sive duas breviores superscriberent, si postrema accueretur; unde ἄσκη^s κατὰσκη^s pro ἄσκιον, κατὰσκιον; dein virgulis omissis, quod saepius accidisse Albertius ad Hesych. l. c. exemplis probavit, corruptionem evasisse. At vero fac, Dianae simulacro revera ἄσκη κατὰσκη adscriptum fuisse, tum pari iure ab eo terminationem *ov* additam credas, qui tenebras innui doceretur graecaque esse opinaretur. Primitiva illa lectio quam certe supponere licet, qua via et ratione fieri potuerit, ut ab Ephesiorum glossographorum alterutro ad Hesychium deferretur, supra indicatum est. — Hand certius est iudicium de *Αἶξ* et *Αἶξ*, sic sibi similibus, ut male a librario aut addita aut demta lineola mendum oboriretur. Commutationis *A* in *A* plura exempla dedit Montefalcon. ad Praelimin. in Hexapla Origenis p. 44. Ac patet, si *Αἶξ* scriptum fuit primitus, propter speciem affinitatis ad antiquam formam *αια* promptiorem fuisse occasionem oblatam de terra cogitandi et interpretandi quam in altera lectione. Breviter dicam, in universum res ita comparata est, ut tum demum de recta textus constitutione iudicium ferri possit, quum lingua reperta fuerit, qua missis illis artibus, quas antea perstrinxi, ex alterutra lectione sensus ab omni parte probandus monumentique et indoli et historiae consentaneus eliciatur.

Ac ne quis forsitan obiiciat, omnino veri non esse simile, inde ab antiquissimis temporibus, quibus Ephesi per Amazones Dianae simulacrum constitutum traditur, praesertim incendiis templi iteratis, usque ad serio-rem aetatem permanere potuisse genuinae litterarum Ephesiarum formae memoriam. Cuiusmodi voces vel cavillationes qui edunt, eos iubemus lectitare quae fusius in banc rem disseruerunt tum Brissonius tum Koppius. Ille enim in aureo de formulis libro earum permultas easque varii generis summa cum diligentia collegit, non in iure tantum sed in aliis etiam negotiis praesertim in religiosis adhibitas, quas etiam atque etiam repetitas, ut Quintilianus l. 6. ait, mutari vetabat religio. Koppius autem in Palaeograph. Critica P. III. p. 595 templorum dedicationem verbis solennibus faciendam (Plutarch. in Poplic. p. 104) commemorat, nec non ludos, qui non rite facti censerentur, si aedilis verbo aberrasset Cic. orat. de harasp. II. A quibus formulis ne quod verbum abesset, erant qui precantibus praecirent. Exempla dedit Liv. V. 41. VIII. 9. „Et ne quid verborum praetereatur“, inquit Plinius XXVIII. 2, 3, „aut praeposterum dicatur, *de scripto* praecire aliquem vidimus: rursusque alium custodem dari qui attendat.“ Addit Koppius: „Pariter Graecis preces fuisse verbis solennibus conceptas et immu-

tabili scriptura in templorum parietibus vel fixis tabulis consignatas, Galeus ad Jamblich. 295. 295 ex Proclo in Tim. 2. docet et exempli causa Eliadum affert hymnum.“ Ab illis autem precibus et supplicationibus, quas cum recentioribus Christianorum litanis Heynius (Opusc. VI. 259) confert, originem traxisse invocationum et amuletorum formulas, idem Koppius l. c. p. 82 ss. probavit, inter eas ipsas Ephesias voces, de quibus agimus, tanquam antiquissimum apud Graecos exemplum recte referens. Si opus esset rem certam et extra omne dubium positam etiam pluribus comprobare, ad sapientissima illa *γράμματα δελφικά*, quae tabulis inscripta ad templi columnas affixa erant (cf. Goettlingii *Gesammelte Abhandlgn. a. d. classisch. Alterth.* I. p. 221—250), nec non ad Hebraeorum sententiam *וַיִּבְרָא* — ita enim pronunciandam censeo — provocarem, quae Deam omnipotentem mundi creatorem praedicans, in columnis aeneis templi a Salomone constructi conspiciebatur. Itaque quod tam crebro et apud diversissimas gentes factum videmus, nemo iure in dubium vocabit, etiam celebratissimis Ephesiae Deae vocibus ut fama fert evenisse, cuius in templo insuper nomen numinis in columnis cellae scriptum fuisse, ex Aristotelis quae feruntur *Oeconom.* II. 20 compertum habemus. Quemadmodum autem eiusdem Deae usque ad remotissimas occidentis nationes pervulgata erat veneratio, ita haud iniuria statuet, simul sacratissimam et in magicis insuper artibus usurpatam formulam litterarum Ephesiarum longe lateque circumlatam esse. Falluntur igitur qui propter vetustatem durare et ad serioris aetatis notitiam pervenire eam potuisse negant.

Rationem autem interpretandae inscriptionis Ephesiae aliam atque hucusque tentata est ut periclitemur, iam primum eius origine adducimur, vel eo quasi invitamur, quod ab Amazonibus, gente non graeca, statuum Dianae Ephesiae, quae et ipsa barbaram praese fert formam, loco suo scimus erectam esse. Cf. Callimachi hymn. in Dian. v. 237 ss.:

*Σοὶ καὶ Ἀμαζονίδες πόλεμον ἐπιθυμήσειραι
Ἐν πότει παραλίῃ Ἐφέσου βρέτας ἰδρύσαντο
Φηγῶ ἐπὸ πέλιω.*

Tibi enim Amazones belli affectatrices
Olim in littore Ephesi statuum posuerunt,
Fagino sub trunco.

Deinde si addis quod vir doctissimus linguarumque asiaticarum bene gnarus, Kiepertius, ob oculos posuit charta quadam geographica, scilicet inter ceteras per Asiam minorem regnantes linguas antiquissimo tempore semiticae

quoque, eique tum apud fluvium Thermodontem, ubi sedes patria Amazonum fuisse fertur, tum circa ipsam urbem Ephesi ditionem assignandam esse, facile adduceres, ut credas fieri potuisse, ut hoc idiomate concepta fuerit inscriptio, de qua quaerimus. Tum sese mihi etiam aliud eiusdem rei indicium sua sponte et tanquam per casum offerebat, quod non prorsus praetermittendum censeam. Nempe quod tenebrarum notio, quam tradunt initio inscriptionis inesse veteres, vocabulo ἄσκη etiam cum Semitarum sermone competit, siquidem apud hos et forma grammatica illi consona in promptu est, et radix אִשְׁקִי *Isk* cum apud Aramaeos tum apud Hebraeos obscuritatem denotat. Item alteram notionem *veri* (ἀληθείς) haud difficile est inventu in illo Ἰ-αμν-αμην-εως i. e. אֱמֵן *amen*. Talibus indiciis ulterius insistens, alia plura inter vocabula Ephesia deprehendes, quae explanationem Semitismi ope ferent; quid? quod totus denique textus eas in partes dividi potest, ut semitica omnibus numeris absoluta periodus evadat, sensusque conformationi statucae multo quam quae vulgo traditur accommodatior.

Dixi de discernendo textu. Nimirum inter omnes constat, antiquissimo tempore in usu fuisse continua serie vocibusque singulis non distinctis sententias litteris exarare. Ad quem morem Ephesia voces compositae hunc textum praebent:

ΑΣΚΗΑΤΑΣΚΗΑΣΤΕΤΡΑΣΙΑΜΝΑΜΗΝΕΥΣΑΙΣΙΟΝ

Miss a partitione, quam nescio quis Graecitatis studiosus praecivit, si eadem litterae distinguuntur hoc modo:

ΑΣΚΗ ΑΤ ΑΣΚΗ ΑΙΣ ΤΕΤΡΑΣΙ ΑΜΝ ΑΜΗΝ ΕΥ ΣΑΙ ΣΙΟΝ

unusquisque semiticarum linguarum gnarus, qui compertum praeterea habeat, qua veteres ratione reddere soleant Semitarum vocabula litteris graecis, non magnopere merabitur, quin sentiat, inesse quaedam, quae Semitismum redolcant. Attamen juvat, ne nimium posthac nobis sumturi credamur, e multorum exemplorum copia unum alterumve promere, quod rem declaret. En Osee 12, 1

כִּי נָשַׂר וְשָׂרָאֵל וְנִחְבְּתוּ וְסִמְצָרִים קָרָאתִי לְבָנִי

quae ad litteras secundum Masorethas sonarent:

ki na'ar jisra'el wa'oh'behu umimmisrajim qarati libni

in Hexaplis Origenis ed. Montf. I. p. 16 sic reddita:

χι νεο Ισραηλ ουεαβηου ουμεμμεσραιμ καταθι λεβαρι

ibid. Genes. 1, 18:

ουλαμσολ βατωμ ουβαληηλα ουλαβδιλ βηη

αωρ ουβην αωσεχ ουιαρ ελωειμ χι τωβ

pro:

בְּמִשְׁלַב בְּיוֹם וּלְיָלֵלָה וּלְהַבְדִּיל בֵּין הָאוֹר וּבֵין הַחֹשֶׁךְ וַיְנַח אֱלֹהִים כִּי-טוֹב
w^elimsol bajjom uballajla ul^ehabdil ben haor uben haħo^säk wajjar^r
‘lohim ki tob.

Alia quae vel e versione Vet. Test. LXX virorum vel e Gnosticorum monumentis Abraxeis peti possunt similia exempla de formis singularum vocum disputationi posthac instituendae reservamus. Ac textus quidem semiticus, quem egomet in litteris Ephesiis latere arbitror, hucce est:

חֲשִׁי כְהַת הַשְׂכִּי *ħaski k^eħat ħaski*
 הַאֵשׁ הַתְּרַצֵּר אִמֵּן *ħaⁱs til rassed^r ‘amn*
 אִמֵּן הוּא שְׂאֵחֵי צִיּוֹן *‘amen hu’ s^e‘aħi sijjon*
 i. e. *Tenebrae pallidae sunt tenebrae meae,*
ad ignem suspice fideliter,
fidus ille, qui collustrans praebet vitam.

De singulis haec habeto. — Vocem חֲשִׁי *ħaski* graece Ἄσκι ommissa littera aspirata secundum communem usum scribendam fuisse, exempla vetustorum monumentorum cuiuslibet generis allatim docent, ut Ἀβασκούμ in LXX pro חֲבַשְׁקוּ *ħ^abaqquq*, Ἀντίβας pro Poenorum חַנִּיבָעַל *ħanniba^aal*, Ἀσίο et Ἀσίοι cum metbathesi graecissante pro חַסִּיר *ħasir* Phoenicum, Ἀσ in Plaut. Poenul. V. 2, 34 pro חַוּוֹ *ħ^awo salve!*, εὐὰ istud Dionysiorum pro חַוּוּ *ħava vivit* et σσεχ pro חַשֶׁךְ *ħosek*, quod supra ex Hexaplis citavimus. Atque in ipsis graecis inscriptionibus haec spiritus asperi nota *Cheth* omittitur vel priscais temporibus praecipue in articulo. Confer inscriptionem in galea inter rudera Olympiae reperta ex Olymp. 76 apud Franz. Element. epigraph. graec. p. 42. 69. — Item regulariter in nostro Ἄσκι σ pro חַוּוֹ ponitur; nam sic usus fert veterum, uti LXX Σαμονίηλ habent pro חַסְמוּנְיָהּ, et latine σ ubique est s, ut in Plaut. Poenulo II. 1, 2 *ischi* pro חַשְׁקִי, cf. Gesen. Monument. Phoenic. p. 370. — Forma חַשְׁשִׁי, bis textu nostro recurrens, nomen chaldaicum חַשְׁשֶׁה *tenebrae* exhibet, tum Suffixo primae personae munitum, tum paragogica terminatione archaisica חַוּוֹ ornatum, quae statui constructo passim adiiicitur. Posteriorem potestatem ab initio, priorem in fine commatis habet. Namque חַשְׁשֶׁה ad regimen חַשְׁשִׁי addit nomen rectum.

Quod ad vocem כְּהַת *kehat* graece Κητ attinet, primum ne quem contractio offendat, quippe quam similia exempla tueantur, ut בַּרְחַתִּים *barchatim*, quod contracte vetus quidam interpres Canticor. 7, 6 βαρκαίμ legit (cf. Orig. Hexapl. II. p. 395), et quod cum maxime huc pertinet קְהַת LXX Κητ Gen. 46, 11. Littera ח enim in mediis vocabulis a LXX nunquam exprimitur;

vid. Hilleri Onomast. sacr. p. 693. Quod autem Montefalconius ad Orig. Hexapl. II. p. 397 monuit, litteram ה veteres semper Θ reddere, non T, id non recte habet; refellitur enim cum multis aliis, tum hisce exemplis: *Δασάρατη* pro עשׂתרה, *Βαυλίς* pro בעליה, *Μάττην* pro מתן, *Τέννης* pro תננת, *Berytus* pro בארת, *Cartili* pro קרת אל. — Dein forma grammatica כהת prorsus congruit cum illa nominis modo laudati קהת, hoc si cum interprete Chaldaeo ad l. c. a verbo קרה derivatur. Addo כנת *portio* a סנה, כצת *finis* a קצח, כנת *cognomen* a כנה. Harum formarum significatio abstracta est. Itaque nomen כהת, a verbo כהת *languit* de colore pallido vel pallescente derivatum, sensum habet palloris; quo addito ad nomen regens, חשכי כהת tenebras designat non prorsus obscuras atrasque, sed in opacitatem umbrarum instar vergentes. Magni autem momenti in nostra re est, חשך cum derivatis suis apud Hebraeos et Aramaeos in usu esse de obscuratione siderum, ut solis Job. 18, 6. Joel 3, 14. Jes. 13, 10, lunae, stellarum Eccles. 12, 2. Job. 3, 8, et ad quod imprimis attendendum est, terrae Jes. 5, 30: ונבש לארץ והנה חשך, Exod. 10, 15: ותחשך הארץ Amos 8, 9. Nec non de nigrescente colore corporis usurpatur Thren. 4, 8, ubi e diverso textui nostro plenissimima cutis nigritia כחור הארס obscurior ipsa nigredine dicitur. Item chaldaice in Mischna Bechor c. 1. כראוי חשוכין *facies eius obscura est*. Atque hoc postremum ita est comparatum exemplum, ut nec reperiri nec fingi cogitando posset nostrae rei accommodatius. Nam quod e mea interpretatione vocum capiti inscriptarum Diana Ephesia de semet ipsa profatur:

חשכי כהת חשכי

Tenebrae pallidae sunt tenebrae meae

id prorsus cum signi sacrati indole ac conformatione congruit. Pervetusti enim ac celebris illius simulacri faciem manusque et pedes aut ex nigra quadam materia confectos, aut fusco aliquo colore obductos fuisse cum magna veterum scriptorum turba Plinio referente prodidit, tum ipsa statuac exemplaria et originaria, quae Romae, Monaci alibique exstant, et ectypa, quorum unum in nostro Museo archaeologico reperitur, aperte comprobant. Quam convenientiam quis non intelligit tam claram tamque insignem esse, ut iure hanc explicationem ceteris omnibus praestare unicamque veram esse contendam. Ad hoc accedit alia ratio haud minus gravis. Nempe σκότος istud, cuius notionem initio inscriptionis innui, vetus apud Graecos traditio refert, quae nobis brevissimi commentarii instar est, quamque cum sensu modo a nobis caute consentire, nemo non videt, revera inest exordio litterarum Ephesiarum, si sermonem Semitarum adhibueris. Quo simul animus crescit, eundem tramitem ut in reliquis firmiter teneamus.

In membro textus proxime sequenti

ΑΙΞ ΤΕΤΡΑΣΙ ΑΜΝ

duae posteriores voces ut semiticae nemini non in oculos incurrunt. Nam *τετρασδ* aperte formae respondere, quae secundum prononciationem masorethicam Hebraeorum sonaret *תֵּטְרָסֵד*, unicuique patebit animum attendenti, primum quod „Ξ omnes Veteris Testamenti interpretes, ut ait Montefalcon. l. c. II p. 397, „per σ legunt“ (cf. *Σιδών* pro *צִיִּרֹן* et multa alia); tum quod Chirek primae syllabae compositae non minus constanti usu vocali ε graece reddi solet (cf. *μμεσραμ*, *μεκεδμ*, *Τερεμίας* al., cf. Montefalc. l. c. p. 399); denique quod vocalis Zere postrema in syllaba prononciando nonnullis ita corripiebatur, ut hic illic scribendo quoque ommitteretur. Sic in gemma Abraxea, quam nobilis femina in vicinitate nostra, de Truetzschler possidet, pro *צֵל צֵנֵס* legitur *ΣΑΒΑΜΑ ΙΑΖΛ*, *WPP* pro *צֵרֵר*, vide Commentat. meam de gemma Abraxea nondum edita, Jen. 1848. p. 12. 14. Ac priori in formula bis littera graeca hebraeae Ξ respondens sic in lapide Truetzschleriano conformata est, ut eam potuis Ξ quam Z dicas; quod pari modo recurrit in *Merexa*, aconum nomine apud Valentinum Gnosticum, exprimente illo quidem, ut Matterus (*Histoire du Gnosticisme*. II. p. 124 s.) auctor est, hebraeum *צֵרֵר*. Quocirca ad concordantiam cum nostro *תֵּטְרָסֵד* perinde est, utrum *τετρασδ* cum Clemente, an cum Hesychio legas *τετραξδ*; utroque ad idem vocabulum semiticum redeunte. — Verbi *צֵרֵר*, semel in Vet. Test. Ps. 68, 16 occurrentis, apud Arabes autem multum usitati, notionem primariam Alb. Schultensius (Opp. minor. p. 193) demonstravit esse in observando, speciatim intentis oculis. Prae ceteris astrorum observationem vocant *مصد*. Hinc apud Abulpharagium p. 89 *الآت الأرصاد* sunt instrumenta observationibus faciendis, quae pag. 329 sunt *الآت، صديّة*. Sic pag. 284 *مصد الكواكب*, astrorum observatio, cf. p. 536 et alibi. En alteram vocem, quae illi *חשבי*, pariter ad siderum vel terrae obscurationem pertinenti in textu accedit atque ipsa sua significatione ad idem vel simile obiectum ita tendit, ut ambae se invicem excipiant et sensum utrique communem tueantur. Quae cum ita sint, ipso contextu adducimur, ut vocabulo aliquo proxime adiecto sideris cuiusdam coelestis mentionem suggeri credamus. In AMN autem i. e. *צֵנֵס* quum non insit, quippe cuius notio *fides* certa et indubitata, nil restat, quam in *ΑΙΞ* inquirere. Atque hoc ut sono suo cum *צֵנֵס* apprime convenit, ita significato apud Hebraeos, Chaldaeos, Phoenices, Aethiopes *ignis* prorsus contextui accommodatum esse apparet. Articulus, usu Hebraeorum et Phoenicum nomini

שׁN praefixus, omissa littera adspirationis, modo vocali *a* expressus est, ut in *αωσεζ* pro *שׁהזקז*, *ααρες* pro *שׁהרע*, *αωμ* pro *שׁהמ* al. Origen. Hexapl. I. p. 8. 29; pariterque in nominibus Semitarum latine scriptis, e. c. Sugabar pro *שׁהב* *ק* *שׁה* *forum frumenti* et al. in Gesen. Monum. Phoenic. p. 437. Nec ξ pro שׁ dagessando quemquam morabitur, qui memor fuerit ionicarum formarum *διξός* et *τριξός* pro *δισσός* et *τρισσός*, ac crebrae permutationis σ et ξ, ut *Ἀβρασός* et *Ἀβροασός* promiscue leguntur. Ignis vero qualis sit intelligendus, ad quem cum fide suspicere iubetur a Dea, imagine repraesentata, quisquis ad eam accesserit, ipso usu verbi ad sidera coelestia pertinentis satis indicatur; solem dico, cuius fervor eadem voce שׁN designatur Joel 1, 19. 20. 2, 3. 5, quemadmodum *ἥλιος* ab Aeschylo Prometh. 22 et Euripid. Iphigen. T. 1207 *φλόξ* nuncupatur. Quam maxime autem vocabuli *αἴξ* per שׁN explicatio comprobatur eo, quod eandem hebraeam vocem Theodotion, Veteris Testamenti interpres, Job. 18, 5 per *φῶς* reddidit, hoc est ipso eo nomine, quod Androcydes, male quidem ad *κατάσκι* traductum, refert tamen, et ut nunc patet recte, inesse textui inscriptionis nostrae. Ad constructionem denique quod attinet huius commatis verborumque collocationem, nemo iustam et sensui accommodatissimam esse infitiabitur. Namque Sol, splendidum illud numen, universum orbem terrarum lumine suo collustrans abditaque semina fovens et eliciens, opacae et tenebricosae terrae, quam equidem Ephesia Diana repraesentatam arbitror, aut ut alii volunt Lunae cum vi opponitur; quocirca necesse est primum sententiae locum obtineat. *Ἄμν* שׁN autem casu accusativo, ut arabice dicitur *صَمَّ* *صَمَّ* al., adverbialiter verbo *התצר* adiectum, fere ut Hebraeorum *בְּאֵינָה* hominibus fidam sive constantem ac perennem lucidi astri observationem eique adiunctam adorationem commendat. Eadem prorsus sententia, mutato tantum verbo, continetur nomine regis Sidonis, *Τετροάμνηστος* Herod. VII, 98 i. e. *התרה שׁN אֵשׁתה* *contuere fideliter ignem*, ut apud Hebraeos nomen proprium occurrit *אֵינֵי יְהוָה* *in Jehovam oculi mei* (conversi sunt) I Chren. 26, 3. Esr. 8, 4.

Quod restat tertium textus membrum

AMEN EY ΣΑΙ ΣΙΟΝ

orditur a cognato postremae voci antecedentis commatis nomine adiectivo *אָמֵן* *amen* arab. *أَمِينٌ*, syr. *ܐܡܝܢܐ*, *verus, fidelis sibi que constans, continuus, perseverans*, quod apud Arabes inter ipsa nomina Dei habetur. Solis, ad

quem posthac patebit pertinere, praedicata perseverantia quasi oculis cernitur in quotidiano eius ortu cursuque per arcum coelestem nullo tempore aut retardato aut intermisso. Simili modo idem sol in Veteri Testamento Ps. 89, 37 aeternae existentiae exemplum proponitur, quid? quod luna comat. 38 fere eadem voce ut textu Ephesio $\text{יְרֵכָה בְּרִיבָהּ הַיָּם}$ testis in nubibus fidus s. sempiternus appellatur. Denique ne suspicio haereat a nobis aliena inferri, succurrit etiam testimonium Androcydis, quod discrete affirmat, veri notionem ἀληθῆς contineri litteris Ephesiis, qua ipsa voce Veteris Testamenti interpretes graeci in vertendo illo יְרֵכָה uti consueverunt.

Paulo audacius videbitur vocabulum quod sequitur *EY* ad semiticum סָה , סָה *hu* equiparatum esse. *Y* quidem per י reddi tritissimum est, conf. *Βέτυλος* et לְבֵטוּלַי , *Andós* et אָדוֹס , *TYΦΩ* et תִּיפּוֹ in Abraxeis monumentis, al.; sed quod graecae vocali *E* consonantis ה *h* potestas tribuatur, fortasse minus placet. Attamen plura sunt, quae confirment hanc sententiam. Ac primum quidem satis constat, ut formam ad amussim respondentem ita eundem locum, quem Phoenicum ה , litteram Graecorum *E* in alphabeto obtinere, cf. Gesen. Mon. phoen. p. 65 ss., unde per se quam maxime verisimile est, licet posteriori aetate vocalis potestas sensim invaluerit, tamen antiquissimo tempore ad exprimendum *h* Semitam a Graecis eius ipsius elementum i. e. *E* adhibitum esse. Post autem quo vis vocalis crebrior, eo magis *Cheth*, litterae *He* cognatissimus sonus et paulo fortior, in locum elementi *E*, consonantis puta, spiritum asperum pariter atque *H* antehac exprimentis, successit. Neque haec inania figmenta merasque coniecturas esse, monumentum in suo genere unicum quidem, quoniam de vetustiori aevo agitur, quam quod servata nobis graecae scripturae documenta pleraque attingant, sed certum commonstrat. Titulum dico in nostra re maximi momenti Crissaeum illum, qui in Boeckhii celeberrima collectione I. p. 2. omnes alios antiquitate antecedens primum locum tenet. Scriptus est *βουστροφῆδον*. Incipit a vocibus *Ἀητοῦς νῆε*, posteriori distinctissime ΗΙΥΗ exarata, ita ut nullum relinquatur dubium, quin Η vim habeat spiritus asperi sive consonantis *h*, cuius formae cum editore in *Cheth* mutandae nulla alia adfuit causa, nisi quod ab ea discreparet, quam serioris aetatis scriptores constante usu exhibeant. Ast hoc leve est et parum sufficiens argumentum in tam parum ab omni parte explorata vetustissimarum scripturarum indole, quum continuatis veterum inscriptionum effossionibus quotannis fere nova accedant interque ea etiam haecenus inaudita. Imo quum Η i. e. ה Phoenicum et ipsum primitus potestatem consonantis *h* habuerit,

probissima illa scriptio tituli Crissaci luculentissimumque documentum habendum est, vetustissimo tempore apud Graecos litterae E simili modo ut *Cheth* in Theraeo alphabeto, toto illo Phoenicio, duplicem et vocalis *e* et spiritus asperi sive *h* potestatem competitivisse. Cf. Franz. Elem. epigr. p. 19. Obiter addam, quod eadem inscriptione Crissaea ipso hoc elemento Ξ bis posito ad vim eius quasi augendam in $\text{MO}\Xi\text{H}$ i. e. $\acute{o}\zeta$ et $\acute{\omega}\zeta$ rursus spiritum asperum designari. Etenim in littera *Cheth*, quam et hic substituit editor doctissimus, nunquam, quantum equidem sciam, duae tresve costae sinistram manum versus ultra laevum scapum prominentes ut in titulo Crissaeo conspiciuntur. Confer Gesenii l. c. p. 28, Koppii *Bild u. Schrift*. II. p. 157. 216. et Franzii l. c. p. 42. Nec desunt eiusdem usus elementi E pro *h* Semitarum vestigia etiam seriori aetate. Sic in lapide Abraxeo, quem museum Argentoratense conservat, a Mattero *Histoire du Gnosticisme* II. Tab. II B. no. 5 primum edito, divinum nomen *Jahu* 𐤐𐤓 scriptum IAEW comparet. Denique ad litteraturam Etruscorum provocarem, qua E consonantem *h* simul et vocalem *e* designans mea sententia regnat, quaeque a dextra manu sinistram versus progrediens, multo prius a Graecis ad Tuscos manavit, quam quo assurgant tituli graeci ad nostram memoriam delati; sed interpretatione, qua usus sum, tam acriter adhuc impugnata, abstinco ab eius usu; hoc solum adiciens, initio inscriptionis Perusinae, cuius unius explicatio non prorsus displicuit acerrimo adversario, ipsum nostrum EY pro 𐤐 occurrere. Vide librum meum: *D. Etruskische als semit. Sprache* p. 5. 13*). Tali modo munita transcriptione 𐤐 pro EY, pronomem masculinum ad 𐤔𐤏𐤓 ignem refero, quae vox masculino genere legitur Psalm. 104, 4. Jerem. 48, 45., hancque constructionem in nostro contextu eo aptius sequitur, quod ad Solem reapse spectat, qui (𐤏𐤓), ut est in Psalmo 19, 6, sponsi instar in arcum coelestem assurgit.

Quod sequitur ΣAI compositum habeo pronomine relativo 𐤔 , quod apud Phoenices nusquam plene scribitur 𐤔𐤔𐤏 , sed ubique sola littera 𐤔 praefixa (Gesen. Mon. phoenic. p. 438), et verbo aut 𐤐 *vivit* aut eius conjugatione aramaea Aphel 𐤐𐤓 *vitam praebet*, collato Syrorum 𐤐𐤓 et con-

*) Utor oblata occasione, ut addam, verbo TANNA (ANNAT) sensu *constituere monumentum* clarissima accedere exempla inscriptionibus Punicis, quarum non paucae ordiuntur in eundem sensum, addito 𐤔𐤏 lapis, a verbo diversimode scripto 𐤔𐤏𐤏 vel 𐤔𐤏𐤏𐤏 vel 𐤔𐤏𐤏𐤏 vel 𐤔𐤏𐤏 ; cf. *Ztschrft. d. deutschmorgl. Gesellsch.* XII. 3. p. 549 not., *Levy Phoeniz. Stud.* II. 75. 76. *Encycl. Ersch* III. To. XXIV. p. 431. not. 56. p. 437.

tracta forma נחמ Dan. 5, 19 (ad h. l. Hitzig) et נחמ Deuter. 32, 39. De aspirata littera ח in mediis vocibus elisa docent Ναοίμ pro Ναβί , Ναβί pro Ναβί Numer. 13, 14 et multa alia. Causativa forma loco, ubi scriptae erant Ephesiae litterae sine dubio accomodatior est. Namque a Dea fertilitatem vimque nutricem repraesentante Sol non tam vivus, quum sibi ipsa vitam nullo pacto negare nec illum hoc nomine sibi opponere posset Artemis, quam vitae auctor praedicandus erat. Simul eadem virtus ac potestas torpentia quaeque emortuaque animans prae ceteris in caussa fuisse videtur, quod Ephesiis litteris vis magica, mortem aliaque mala averruncans, antiquitate attribuebatur. Quoad verbum conferre iuvat tum illud dictum Qorani 30, 49, quo inter evidentissima Dei beneficia numeratur, $\text{كَيْفَ يُخَيِّبُ الْأَرْضَ بَعْدَ$

مَوْتِهَا quod terram emortuam *faciat reviviscere*, tum sententiam Lydi cuiusdam (Jacobs. *Elmtrb.* p. 99): *Πάντων ἐπὶ γῆς καλῶν ὁ ἥλιος ἀνθρώποις αἰτιὸς ἐστί, καὶ οὐδὲν ἂν εἴη τῶν ἐπὶ γῆς, μὴ τοῦ ἡλίου ἐπιλάμποντος.*

In postrema voce diversitas lectionis ΣΙΟΝ aut ΣΙΑ in censum venit, prout aut Clementis auctoritatem, *Αἰσία* scribentis, aut Hesychii *Αἰσιον* sequeris. Origo discrepantiae repetenda est a tachygraphorum inde a nono usque ad duodecimum saeculum scriptione *Αἰσι* pro *Αἰσία* et *Αἰσι* pro *Αἰσιον*, de qua accuratius disputavit Bastius ad Gregor. Corinth. p. 740 s. 770 s. Quae simillimae formae quum saepius inter se confunderentur, incerta manet alterutrius praestantia. Utraque lectio sensum quidem praebet ad nostram rem aptum, sed paulo diversum. Nam ΣΙΑ i. e. سِيا locum apricum sive terram aridam designat, quam secundum hanc lectionem ignis coelestis sive sol calore suo ac lumine fovens animare dicitur; ΣΙΟΝ autem idem quod Σιών سِوْن pro affinitate sua ad سِو et سِو *apricatus fuit*, ut *apricum* latine pro solis luce dicitur, hocce sidus ut lucidum et nitore vegetabili praeditum extollit. Colludunt voces cognatae سِو *splendor* apud Arabes, سِو *serenitas* apud Syros et apud Aethiopes solem designantes.

Pertractata tali modo inscriptione nostra, iam patet, *Ἐφέσια γράμματα* neutiquam inanes sonos esse nec singula modo vocabula, quae etiamsi singulatim non significato, tamen nexu inter se et grammatica constructione careant, imo secundum rationem, qua soleant Semitarum enunciata litteris graecis exprimi, regesta in formam orientalem exhibere enunciationem inter se cohaerentem ac bene contextam, tum regulis grammaticis tum usui et significationibus vocabulorum in sermone semitico receptis apprime congruam. Accedit, quod maximi in omni hac re momenti esse arbitror, re-

vera contineri iis pro nostra explicatione easdem notiones tantum non omnes, quas veteres inesse tradiderunt; nempe *σκότος* in שָׁחַד , *φως* in אֵשׁ , *ἥλιος* in יָש et *ἀλληθεις* in יָש ; ita ut Androcydis vel cuiusvis alius auctoris fuerint interpretamenta fere commentarioli instar sint. Quodsi Megabyzorum, sacerdotum Dianae Ephesiae, quibus ut cultus mandatus ac ministerium sacrum, ita sine dubio nativa veraque simulacri et inscriptionis significatio nota erat, quisquam Graecis Ephesi advenis eam declarabat, aliter vix poterat fieri, quam ut Terram (*γῆ*) hoc signo repraesentatam, quotannis (*ἐπιαντός*) a Sole fecundatam, quod zodiaci segmento statuæ addito indicabatur, de semet profari quae inscriptione continerentur, edissereret; quo facto sermonis imperitus ipsi textui has quoque ambas notiones terrae et anni inesse, facile adducebatur ut crederet. Nec quidquam obstat, quin sumamus, quod primitus nutricium numen apud gentes venationibus vacantes symbolis et emblematis venatoriis instructum fuerit, apud alias, quae ex agrorum cultura victum quaerent, servata quidem primitiva notione generali, induisse tamen matris fruges gerentis speciem, omnesque labente tempore pro diversitate locorum, hominum, gentium, illas subiisse formarum symbolorumque commutationes, quas Dianam perpressam esse satis constat. Quum igitur magnam inter hanc Deam et Cererem intercessisse similitudinem, iamdiu agnoscerent viri docti (cf. Guhl l. c. p. 101. al.), non mirabimur, utrique etiam eadem nomina communia fuisse. Sic Opis, quae Upis dialecto dorica, ut Diana ita Ceres appellata est (Hesych. s. v.), quam Opin eandem esse et terram, veteres testantur; cf. Guhl l. c. p. 81. s. Idem vero in nomina *Ἄρτεμις* et *Ἀημήτηρ* cadere, quantum equidem scio, nemo adhuc vidit, quamquam clarissimum, posterius nil nisi graecam versionem accuratissimam prioris nominis semitici esse. Namque ut iam Cicero De Nat. Deor. II. 26 auctor est, recentioribus scriptoribus consentientibus (vid. Preller Griech. Mythol. I. p. 464 not. **), *Ἀημήτηρ* idem est quod *Γῆ μήτηρ Terra mater*; ita pari modo *Ἄρτεμις* respondet, missa solum graeca terminatione, Semitarum אַרְט־עַמ (*אַרְט־עַמ*, *אַרְט־עַמ*), *art-em*, quod et ipsum *Terra (est) mater* simili compositione designat, ut nominum *Josua יהושוע Jehova est salus*, *Joaser יואש Jehova est auxilium*, *Joab יואב Jehova est pater*, *Νιθάδων*, vir Salaminius (Arrian. Ind. p. 146) forsitan נֵיִתָּה נֵיִתָּה *Neitha est domina* al. Littera τ pro s vel שׁ in nomine Deae nostrae *Artemis* adhibebatur, ut *Atir* scriptum pro אַרְט־עַמ (Ges. Mon. phoen. p. 432), *Χατραμίτις*, *Χατραμωτίτις*, *Atramitae*, *Chatramotitae* pro חַטְרַמּוֹתִיטַי ; vid. Förbiger Hndbch. dr. alt. Geograph. II. p. 755. — Igitur apparet tanquam luculentissimo exemplo no-

mine Artemidis Ephesiae, quam recte Creuzerus (Symbol. IV. p. 328), cuius verba hisce temporibus in memoriam revocare iuvabit, monuerit: „*Die Griechen wussten den Ursprung und die erste Bedeutung einiger dieser Gottesnamen und zwar der Hauptnamen offenbar selbst nicht mehr, weil dieselben zum Theil aus den Sprachen des Orients, und zwar aus früherer Vorzeit herstammten.*“

Siquidem ipsius nominis Artemidis significatio cum simulacro multimammio collata evincit, Terram ob oculos positam esse statua Ephesia, simul perspicitur, et cur faciei manuumque color subniger fuerit, praesertim lucido solis sidere opposito, et quam evidens ac probus cum nomine Deae et indole statuae suae sensus ex inscriptione enucleati contentus. Quibus si additur, quod eadem explicatione nostra litterae Ephesiae tum continent nonnulla quae formulae averruncae sunt bene apta, tum tripartitam enunciationem efficiant, cuius singula membra suum quodque sensum habent, et sic, ut traditum est, singulatim in stephane, zona, pedibus inscribi poterant: tam multa concurrunt, quae se invicem confirmant, ut haud sciam, an plures in eandem rem aut posci aut afferri comprobationes possint.

Sed superest, quod interpretationi nostrae obstare videatur. Nempe una vocum Ephesiarum *Δακτυλῶν* etiam inter nomina propria Idaeorum Dactylorum a Clemente Stromat. I. 362 (307) aliisque graecis scriptoribus, quos videre est in Lobeckii Aglaoph. p. 1156 ss. et Pauly Real. Encycl. s. v., numeratur, nec non in amuletorum quibusdam gemmis invenitur. Cf. Kopp. Palaeogr. III. p. 596 s. Quocirca opponat fortasse quispiam, male a nobis idem illud nomen in plures partes divelli. At primum flocci facio ab amuletis quod petitur argumentum, quippe quo nil probetur, nisi seriori aetate eas, quas Graeci suo arbitrio constituissent voces singulas, de contextu excemas et in usum magicum lapidibus incisas esse. Dein autem omnino rationibus a Dactylis sumtis, quum de his ipsis, vel Lobeckio teste l. c. p. 1159, disputationis fundamenta perquam caduca, incerta, obscurissima sint, non multum tribui potest; imo permultis viris doctis concedentibus, Dactylorum ut Cabirorum originem nominaque certe nonnulla orientalibus gentibus vindicanda esse, hoc ipso explicationi nominis *Δακτυλῶν*, quae tantum interpretibus negotii facessivit nec probabili ratione expediri potuit, ex Semitismo repetitae, ut a nobis factum, quidquam roboris accedere videtur. Dilucidato nunc universae formulae Ephesiae, cui intextum est et illud *Δακτυλῶν*, sensu, totius rei rationem hoc modo se habuisse censeam. Per totam fere Asiae oram, quacunque Matris Magnae sacra pertinebant,

cuius arctissima est cum Diana Ephesia necessitudo, eius cultui sacratae erant formulae vel carmina adiuncta, quorum e genere etiam *Ἐφέσια γράμματα* fuere. Ea ut ore profabantur canebantve sacerdotes indigenae tempore antiquissimo et sectatores, penes quos erat scientia nativi sensus, ita Graeci his regionibus advenae secundum sonos auribus exceperunt et nescio quis eorum tum adhuc continua serie litterae exarabantur, scripto graecis elementis mandavit. Neque improbable est, accolarum tum alios imbutos esse notionibus quoque iis comprehensis, certe summatis, quas bene male cadat Graecismo adaptare studerent, suo modo contextum formularum in singulas voces disponentes; tum alios eadem vocabula, quibus divinum numen invocari celebrarique praesentes audiebant, ut erant Graeci ad personas divinas effingendas pronissimi, pro ipsorum daemonum nominibus habuisse, Dactylorum puta, quos earundum artium et scientiarum, magiae, metallurgiae, musicae auctores vel patronos crederent, quarum viderent culti numinis assecclas experientissimos. Hinc senties tandem, quid fuerit in caussa, quod Dactyli et barbari et litterarum Ephesiarum inventores praedicarentur, (Clemens Strom. I. 360), a quibus litteris potius, ut ceteri daemones ex aliis similibus formulis, ita *Δακτυλενέως* vice versa nomen suum et originem traxisse putandus est.

Sed sufficiat rem tanti momenti, quantum inscriptio habeat mera semitica in signo sacratissimo celeberrimae Ephesiae Dianae, primoribus quasi labris nunc quidem degustasse, quum ulterius persequi eam limites prohibeant, caussa commentationis ipsa positi. Nam indicenda sunt solemnia publicae disputationis, qua Vir Humanissimus ac Doctissimus

ERNESTUS HÄLLIER,

PHILOSOPHIAE DOCTOR,

ad obtinendam veniam docendi in Universitate nostra Dissertationem *de geometricis plantarum rationibus* conscriptam defendet. Ad quam solemnitate ornandam frequentes ut conveniatis quotquot rebus nostris favetis, ea qua decet observantia rogamus.